4128 v.RADOWITZ

Clarissime vir D. Heresbachi quantum tu meos in Geographia labores videre desideras, tantum ego eorundem non solum fructum sentire, verum etiam tibi longe amicissimo plurimisque mihi observando communicatione gratificari exopto. Spes in votis fuit Germaniae descriptionem, qua te in primis delectari frequentibus intellexi, primam in operis editione facere, sed urgentiores causae ad Galliam me retraxerunt, in ea sola partem media iam plures annos consumpsi, non descriptionis difficultate, sed sculptorum defectu, quorum unicum tantum habeo Arnoldi mei filium, pater (qui in sculpendo Ptolemeo mihi operam navavit cum reliquis) nunc rebus Illustrissimi Principis nostri occupatior, accessit etiam D. Hogenbergius, sed qui propriis negotiis detentus paucas admodum tabulas parare potuit, cum secundus hic Geographiae tomus fere 120 requirat. Galliae tabulas anno spero intra annum absolutas habere, quarum exemplar Clariss. T. Humanitati et dilectioni in primis mittam, illis editis ad Germaniam redibo in qua iamdudum sex tabulas pene perfectas habeo. Cum in universum 20 circiter sint futurae, in quibus multa erunt hactenus non edita, quae tibi summopere placitura scio. Postea ad Italiam Hispaniam Angliam reliquasque deinceps regiones pergam, donec totum opus perfecero, si dominus dederit. Caeterum his absolutis restat difficillima totius mei instituti pars, videlicet historia totius conditi orbis et dispositionis narratio, in qua multa de rerum principiis, de planetarum et stellarum motibus, de astrologia, aliisque ad mundi contemplationem pertinentibus disserenda erunt, quae multis admiranda videbuntur, quia hactenus observata non sunt. Et tametsi postrema operis pars erit, potissima tamen operis pars, adeoque primum et caput totius erit, quod ante omnia paratum oportuit, nisi prius vitae subsidia post philosophiam necessitas postulasset. Hic scopus omnium laborum meorum, hic finis operum erit. Globos quotquot habui Francfordiam misi, cepi alios componere verum tres circiter menses elabentur priusquam perfici possint, vendo autem singulos 10 daleris. Usum Eufrasiae mihi praescripsit D. Solenander, siccam vasculo imponi iussit ac bonum rhenense vinum infundi, quod mane, sub prandium, a meridie, sub coena, et in coena, hoc est frequenter sumere iussit, idque principio non paucis diebus, sed aliquot mensibus donec levamen sentiretur, postea per intervalla intermittere, subinde tamen paucis diebus repetere licitum esse dixit. Hoc consilium sequutus, post aliquot menses manifestam opem sensi, verum laborabant mihi oculi non defectu visivae potentiae (quantum ego iudicare possum) sed lentis et crassis humoribus qui nervos opticos occupaverant, ita ut nonnunquam pleno die nec literas grandes cognoscere possem, hos humores haec herba mirifice laxat solvit et educit praecipue ex capite. Caeterum si virtus ipsa visiva per se labascat, opinor foeniculi semen subinde mandere utilius esse, non contempto tamen Eufrasiae usu mediocri. Frequentius Coloniam cogito, in qua T. H. caeterosque amicos convenire, bibliothecasque perlustrare mihi iucundissimum erat, verum prohibent occupationes, et flaccidior aetas, et ad hoc modo bellica pericula, a quibus nos liberet dominus. Literas tuas iam ante quatriduum demum accepi, alioqui per filium respondissem qui cum D. Mylio Francfordiam profectus est. Bene vale vir clarissime, salutant te plurimum uxor mea et Arnoldus filius. Duysburgi 24 Martii 1583.

Clariss. H. T.

toto animo addictus Gerardus Mercator

Clariſſimo Viro D. Ludgero
Hereſbachio J. L. et apud
S. Seuerinū Scholaſtico, domi-
no ſuo plurimū obſeruando

Pr. 27 Martij a° 83
G. Mercator

Colonie

Mercator

STAATS-
BIBLIOTHEK
· BERLIN